PA 4037
.H3
Copy 1

PA 4037
.H3
Copy 1

QUAESTIONUM HOMERICARUM

PARTICULA QUAE EST

DE RECENSIONE PISISTRATEA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VI. M. IANUARII A. MDCCCLXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

FREDERICUS GUILELMUS HAAG

MOSELLANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

F. H. MUELLER, CAND. PHIL.
K. BOLLMANN, STUD. MATH.

HALIS SAXONIAE

MDCCCLXV.

PA
4037
.H3

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Carmina Homerica quomodo a tempore illo, quo orta sunt, usque ad Pisistrati aetatem nobis tradita esse uideantur cum hoc loco nequeat accuratius disputari, quoniam uel minus illud, quod nobis propositum est, summum requirit studium plurimumque otii, nunc sufficiat exponere, quid de illa re etiam maioribus difficultatibus obstricta ueteres retulerint. In Asia Homeri carmina primum decantata esse inter omnes constat; unde a Lycurgo, cui Creophylus donasset, Spartam esse deportata Dio Chrysostomus[1]) narrat. Idem fere testatur Plutarchus[2]) Lycurgum cum Homeri uersus legisset apud Creophyli posteros in Ionia asseruatos ac multum bonae frugis in iis repperisset eos sedulo descripsisse (ἔγραψεν) et in Graeciam transtulisse. Nec non Aelianus[3]) carmina Homeri antea διῃρημένα i. e. in singula dissoluta partes fuisse, Lycurgum uero ἀθρόαν πρῶτον εἰς τὴν Ἑλλάδα κομίσαι τὴν Ὁμήρου ποίησιν. Et ea quidem re motum esse illum, quod, quae caneret Homerus, Lacedaemoniis eorumque reipublicae formae duceret aptissima, scriptores ueteres opinantur. Nos quidem uero cum haec tum multa alia, quae de Lycurgo et Homeri carminibus memorantur, ueluti illud Lycurgum cum Homero congressum[4]) esse, ut Iliadem sibi componeret, ficta ac commenticia persuasum habemus. Nam etiamsi Creophylus uel unus e stirpe eius carmina scribere potuisset, quid facturum fuisse putas Lycurgum Lacedaemone scripto Homero, ubi fere legere et scribere posset nemo? An quis ne-

---

[1]) orat. II pag. 87. (ed. Reisk.) [2]) Lycurg. cap. IV. [3]) uar. hist. XIII. 14.
[4]) Strabo geograph. X. 482. cf. Cicer. Tuscul. V. 3.

gat illum leges suas scripturum fuisse, si eis legendi potestas fuisset? Huc accedit, quod nihil relatum inuenimus, quanti fuerit momenti translatio illa a Lycurgo in Peloponnesum facta. Immo per rhapsodos carmina in Graeciam deportata esse statuendum nobis erit. Trecentis fere annis post Lycurgum a Solone lege sancitum esse legimus[5]), ut singulae partes exacte ad scriptorum exemplorum fidem (ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖσθαι) recitarentur. Pisistratus uero optime meritus esse traditur de carminibus, quod confusa prius et dissoluta conquireret et in ordinem redigeret. Quae res quatenus recte se habeat, quoad fieri poterit, indagare in animo habemus. Quam quaestionem quoniam difficillimam esse haud ignorabamus neque dubitabamus assentiri uiro illi praeclarissimo dicenti, si quis de carminibus Homericis aliquid publici iuris facere uellet, ei complures annos operam nauandam esse Homero eorumque librorum, qui de illo scripti sunt, copiae inexhaustae, fieri non potuit, quin dissertationem nostram in arctiorem gyrum concluderemus. Ac primum quidem id uideamus, si placet, de recensione Homeri Pisistratea quae a ueteribus tradita acceperimus, tum quae coniectata sint a recentioribus, denique quid ipsis nobis statuendum uideatur.

CAPUT I.

De recensione carminum Homericorum Pisistratea quae a ueteribus tradita acceperimus, exponitur.

Wolfius ubi in prolegomenis[1]) immortalibus ad Pisistrati studia Homerica peruenit: „Nunc uero, inquit, nihil opus est coniecturas capere. Historia loquitur.“ Nobis uero etiamsi

[5]) Diog. Laert. l. 57. Bernhardy, „Griechische Litteraturg. II. Bearb. I uol. pag. 275, II uol. p. 95. Nitzsch, de histor. Hom. maximeque de script. carm. aetate meletemata Hannov. 1830 fasc. I pag. 132sqq.

[1]) pag. CXLII.

de Pisistrati studiis accuratiora ac credibiliora tradita sunt, quam de temporibus, quae praecesserant, testimonia tamen talium scriptorum desiderare liceat, qui Pisistrati aetate uel haud multo post illum scripserunt, et nostro iure interrogare, cur Herodotus, cur Thucydides, cur Plato, qui Homerum eiusque carmina tam saepe commemorant, cur Aristoteles, qui de unitate epica prae dramatica iudicat[2]), ne casu quidem in mentionem recensionis Pisistrateae iuciderint. Qua de re infra plura disputabimus. Sed ab Alexandrinis quamquam non diserte nominatur, tamen multis locis fatendum est eam apparere significari. Testimonium autem uetustissimum haud scio an epigramma illud sit, quod Pisistrati statuae Athenis inscriptum Anonymus[3]) memoriae nostrae tradit:

ὕστερον δὲ, ait ille, Πεισίστρατος αὐτὰ (sc. τὰ Ὁμήρου ποιήματα) συνήγαγεν, ὡς τὸ ἐπίγραμμα τοῦτο δηλοῖ (Ἀθήνησιν ἐπιγεγραμμένον ἐν εἰκόνι αὐτοῦ τοῦ Πεισιστράτου)·

Τρίς με τυραννήσαντα τοσαυτάκις ἐξεδίωξε
δῆμος Ἐρεχθῆος καὶ τρὶς ἐπηγάγετο,
τὸν μέγαν ἐν βουλαῖς Πεισίστρατον ὃς τὸν Ὅμηρον
ἤδροισα σποράδην τὸ πρὶν ἀειδόμενον.
ἡμέτερος γὰρ κεῖνος ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης,
εἴπερ Ἀθηναῖοι Σμύρναν ἐπωκίσαμεν.

Quamquam illud est nobis concedendum non prorsus refelli posse aut eos[4]), qui hoc epigramma dicant esse fontem omnium eorum, quae aliis locis nobis tradita sunt, aut qui[5]) ex declamatione scholastica ortum esse contendant. Neque enim quando hoc epigramma compositum sit, compertum habemus. Auctorem autem recensionis Pisistrateae primum diserte nominare possumus Ciceronem, cuius testimonii uis quoniam oratione inflata permulto minuitur, a

[2]) Aristot. poet. cap. 18 et 23. cf. Ulrici „Gesch. der hell. Dichtkunst I uol. pag. 209. [3]) Bekkeri Anecd. p. 768, et totis fere Homeri uitis epigramma illud memoratur. cf. Sengebuschii dissert. Homer. II pag. 29. [4]) Welcker. „episch. Cycl. uol. I pag. 386. [5]) Nitzsch. „Beitrag zur Geschichte der episch. Poesie d. Griech. p. 400 not.

Welckero[4]) acerrime impugnata est. Cicero enim Pisistratum nimis doctum praedicans exclamat[6]):

„Quis doctior iisdem illis temporibus (sc. VII sapientium) aut cuius eloquentia litteris instructior fuisse traditur quam Pisistrati? Qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Non fuit ille quidem ciuibus suis utilis, sed ita eloquentia floruit, ut litteris doctrinaque praestaret.“

Deinde Flauius Josephus[7]) aliquid de Pisistrati studiis Homericis narrat, sed ne illum quidem nomine designat, uerum a scriptore significari conicere possumus: Homerum ille scribit aliquot annis post bellum Troianum uixisse eiusque carmina litteris non mandata cantibus rhapsodorum memoriae posterorum relata, postea demum collecta et ordinata esse unde exemplorum discrepantiam expediri posse:

„καί φασιν οὐδὲ τοῦτον (sc. Ὅμηρον) ἐν γράμμασι τὴν αὐτοῦ ποίησιν καταλιπεῖν, ἀλλὰ διαμνημονευομένην ἐκ τῶν ᾀσμάτων ὕστερον συντεθῆναι καὶ διὰ τοῦτο πολλὰς ἐν αὐτῇ σχεῖν τὰς διαφωνίας.“

Ad uerbum συντεθῆναι Wolfius addit: uidelicet a Pisistrato et adnotat[8]): „Tironum gratia cum Meriano notandum est, illud φασίν de rebus uel certissimis usurpari in fama minime obscura, non de eis, quae a nonnullis siue paucis traduntur. De his Graece est φασὶν ἔνιοι, φασί τινες.“

De eodem loco Nitzschius[9]) multa disputans omnem fere Josepho fidem abrogat. Ab his temporibus saepius Pisistrati recensio si non semper uerbo memoratur, at significatur, id quod facile intellegi potest. Nam haud multo post Josephum Plutarchus[10]) narrat Heream Megareum scripsisse Pisistratum uersum Odysseae XI 631[11]) χαριζόμενον τοῖς Ἀθηναίοις intulisse in Homerum.

---

[6]) de Orat. III. 34. § 137. [7]) περὶ ἀρχαιότητος Ἰουδαίων κατὰ Ἀπίωνος 1. 2. [8]) proleg. LXXVII not. 38. [9]) meletemm. fasc. I p. 24 sq. [10]) Thes. cap. 20. [11]) multis in libris inueni uersum 630 memoratum, sed non dubito, quin 631 significetur.

Clarissime uero Pisistrati recensionem Pausanias[12]) testatur:

„Πεισίστρατον δέ, ἡνίκα ἔπη τὰ Ὁμήρου διεσπασμένα τε καί ἄλλα[13]) ἀλλαχοῦ μνημονενόμενα ἠθροίζετο, ἢ αὐτὸν Πεισίστρατον, ἢ τῶν τινα ἑταίρων μεταποιῆσαι τὸ ὄνομα (sc. Δονόεσσαν cf. infra) ὑπὸ ἀγνοίας."

Quorum sociorum nomina nuper ex scholio quodam, quod infra laudabimus, compertum est.

Pergo ad Diogenem Laertium, qui studia Homeri Pisistratea commemorat, sed Solonis de carminibus merita meliora esse, quam Pisistrati uidetur indicare his uerbis[14])

τά τε Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψῳδεῖσθαι, οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον. μᾶλλον οὖν Σόλων Ὅμηρον ἐφώτισεν ἢ Πεισίστρατος, ὥς φησι Διευχίδας ἐν πέμπτῳ Μεγαρικῶν. ἦν δὲ μάλιστα τὰ ἔπη ταυτί· „οἱ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον καὶ τὰ ἑξῆς.

Quem locum diuersissimis rationibus explanare[15]) uiri docti conati sunt de quo latius nobis erit disserendum.

Eodem fere tempore scribit[16]) Claudius Aelianus Praenestinus, postquam antea translationem carminum Homericorum in Graeciam a Lycurgo factam commemorauit:

ὕστερον δὲ Πεισίστρατος συναγαγὼν ἀπέφηνε τὴν Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν.

Ab hoc igitur scriptore diserte Pisistratum Odysseam et Iliadem, non epicum cyclum, id quod nonnulli[17]) opinantur, recensuisse affirmatur.

Multis saeculis post Aelianum Suidas[18]) Homerum uariis in urbibus, quas obiisset, carmina sua scripsisse et reliquisse prodens addit:

ὕστερον δὲ συνετέθη καὶ συνετάχθη ὑπὸ πολλῶν, καὶ μάλιστα ὑπὸ Πεισιστράτου τοῦ τῶν Ἀθηναίων τυράννου.

---

[12]) VII. 26. 6. [13]) Schaefer apparat. ad Demosth. tom. III pag. 283. [14]) I. 57. [15]) cf. Duentzer. „de Homero deque epico cyclo p. 12 sqq. [16]) XIII. 14. [17]) Ulric. l. l. p. 403. not. [18]) s. u. Ὅμηρος.

Iam vero Libanius Pisistratum carminum Homericorum ordinatorem laudat[19])

εἰ δὲ Πεισίστρατον ἐπαινοῦμεν ὑπὲρ τῆς τῶν ἑτέρῳ πεποιημένων συλλογῆς, ποῦ θήσομεν τὸν Ὁμήρου μιμητήν;

Idem in Socrat. apologia[20]) postquam a Socrate et alios poetas uetustos uituperatos esse et Homerum affirmauit, pergit:

καὶ Πεισίστρατος μέν ὁ μάλιστα σπουδάσας περὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν οὐδένα τῶν πώποτε ἀπέκτεινε λαβὼν ἔπους ἐπιλαμβανόμενον· εἰκὸς δὲ πολλὰ τουαῦτα γεγονέναι τῶν Ὁμήρου συλλεγομένων.

Nec uero non Eustathius, archiepiscopus Thessalonicensis, Homeri studiosissimus narrat[21]).

Ὅτι ἓν μέν τι σῶμα συνεχὲς διόλου καὶ εὐάρμοστον ἡ τῆς Ἰλιάδος ποίησις. οἱ δὲ συνθέμενοι ταύτην κατ' ἐπιταγὴν ὥς φασι Πεισιστράτου τοῦ τῶν Ἀθηναίων τυράννου ceter.

Idem[22]), quod ex antiquis scriptoribus se hausisse contendit:

φασὶ δὲ οἱ παλαιοὶ τὴν ῥαψῳδίαν ταύτην ὑφ' Ὁμήρου ἰδίᾳ τετάχθαι καὶ μὴ ἐγκαταλεγῆναι τοῖς μέρεσι τῆς Ἰλιάδος, ὑπὸ δὲ Πεισιστράτου τετάχθαι εἰς τὴν ποίησιν.

Mirum aliquid de recensione Pisistratea grammaticus quidam[23]) refert, quod totum enarrare longum est; haec uerba ad quaestionem nostram pertinent:

Πεισίστρατός τις (τις Beck.) Ἀθηναίων στρατηγός, θέλων καὶ ἑαυτῷ (καὶ ἑαυτῷ Beck.) δόξαν περιποιήσασθαι καὶ τὰ τοῦ Ὁμήρου ἀνανεῶσαι —. ἐκήρυξεν ἐν πάσῃ τῇ Ἑλλάδι τὸν ἔχοντα Ὁμηρικοὺς στίχους ἀγαγεῖν πρὸς αὐτὸν — καὶ μετὰ τὸ πάντας συναγαγεῖν, παρεκάλεσεν ἑβδομήκοντα δύο γραμματικούς, συνθεῖναι τὰ τοῦ Ὁμήρου ἕκαστον κατ' ἰδίαν —

---

[19]) Εἰς Ἰουλιανὸν αὐτοκράτορα ὕπατον ed. Reisk. tom. I. pag. 385. [20]) tom. III pag. 25. [21]) in libro παρέκβαλοι εἰς τὴν Ὁμήρου Ἰλιάδα A. init. pag. 5. [22]) K. init. ante uers. 1 pag. 785. [23]) Bekkeri Anecd. II. pag. 767. Villoisonii Anecd. tom. II. p. 182. Wolfii proleg. pag. 147 not.

καὶ μετὰ τὸ ἕκαστον συνθεῖναι κατὰ τὴν ἑαυτοῦ γνώμην, εἰς ἓν συνήγαγε πάντας τοὺς προλεχθέντας γραμματικούς, ὀφείλοντας ἐπιδεῖξαι αὐτῷ ἕκαστον τὴν ἰδίαν σύνθεσιν —. οὗτοι οὖν ἀκροασάμενοι — ἔκριναν — ἐπικρατῆσαι (κρατῆσαι B.) τὴν σύνθεσίν τε καὶ διόρθωσιν Ἀριστάρχου καὶ Ζηνοδότου. καὶ πάλιν ἔκριναν τῶν δύο — βέλτιονα τὴν Ἀριστάρχου.

Etiam alterum scholium legimus apud Villoisonum[24]), antea non scripturam, sed solam διδασκαλίαν rhapsodorum ad conseruandum Homerum adhibitam esse:

Πεισίστρατος δέ τις, pergit, Ἀθηναίων τύραννος, ἐν ἅπασιν ὢν εὐγενής, κἀν τούτῳ θαυμασθῆναι ἐβουλεύσατο· ἠθέλησε γὰρ τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἔγγραφον διαφυλάττεσθαι.

Denique tertium scholium apud eundem Villoisonum[25]), quod ex eodem codice petitum esse ait:

λέγεται ὅτι συνερράφησαν ὑπὸ Πεισιστράτου τοῦ τῶν Ἀθηναίων τυράννου τὰ Ὁμήρου ποιήματα. καὶ κατὰ τάξιν συνετέθησαν τὰ πρὶν σποράδην καὶ ὡς ἔτυχεν ἀναγινωσκομένα διὰ τὸ τὴν ἁρμογὴν αὐτῶν τῷ χρόνῳ διασπασθῆναι.

Porro maximi momenti fuit scholium nuper ab Osanno inuentum, cum antea, qui essent ἑταῖροι, de quibus Plutarchus loquitur, sciret nemo. Quod postquam Meineckius, cui ab Osanno erat missum, edidit, alii maximi pretii, alii, ueluti Prellerus, ne parui quidem esse putabant. Ritschelius autem cunctos, qui Romae sunt, codices Plautinos percensens in bibliotheca collegii Romani in codice quodam Plauti scholium illud ab Osanno inuentum repperit, quod totum primus Ritschelius edidit[26]), ex quo ea tantum, quae ad disputationem nostram attinent, hoc loco scribere uolumus:

Ceterum Pisistratus sparsam prius Homeri poesim ante Ptolmaeum Philadelphum annis ducentis et eo etiam amplius sollerti cura in ea, quae uunc exstant, redegit uolumina usus

---

[24]) tom. II pag. 182 not. 1. [25]) ibid. [26]) in libello: die alexandrinische Bibliothek unter den ersten Ptolmaeern und die Sammlung der homerischen Gedichte unter Pisistratus. Bresl. 1838 pag. 3 et 4.

ad hoc opus diuinum industria quattuor celeberrimorum hominum uidelicet Concyli, Onomacriti Atheniensis[27]), Zopyri Heracleotae et Orphei Crotoniatae. Nam carptim prius Homerus et non nisi difficillime legebatur. Quin etiam[28]) post Pisistrati curam et Ptolmaei diligentiam Aristarchus adhuc exactius in Homeri elimandam collectionem uigilauit. Heliodorus multa aliter nugauit, quae longo conuitio Cecius reprehendit. Nam[29]) olim LXX duobus doctis uiris a Pisistrato huic negotio praepositis dicit Homerum ita fuisse compositum, qui quidem Zenodoti et Aristarchi industriam[30]) omnibus praelatam comprobarint, quod constat fuisse falsissimum, quippe cum inter Pisistratum et Zenodotum fuerint anni supra ducentos. Aristarchus autem quattuor annis[31]) minor fuerit ipso et Zenodoto atque Ptolmaeo."

Quo de scholio Ritschelius[32]) et Nitzschius[33]) multum disputauerunt. De coruptela autem, qua laborat scholium, infra nobis erit agendum.

Hoc scholium inuentum cum multas praeberet difficultates, uiri docti optabant, ut „e nouis fontibus ipsa Graeca uerba eruerentur, quae in Latinum sermonem Plauti interpres conuertisset." Quod ex parte euenit e uulgatis Crameri Anecdotis Parisiensibus. His[34]) enim prodita haec sunt, ceteris omissis.

καίτοι τὰς Ομηρικὰς ἑβδομήκοντα δύο γραμματικοὶ ἐπὶ Πεισιστράτου Ἀθηναίων τυράννου διέθηκαν οὑτωσί σποράδην αὖσας τὸ πρίν. ἐπεκρίθησαν δὲ κατ᾽αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ὑπ᾽ Ἀριστάρχου καὶ Ζηνοδότου, ἄλλων ὄντων τούτων τῶν ἐπὶ Πτολμαίου διορθωσάντων. οἱ δὲ τεσσαρσί τισι τῶν ἐπὶ Πεισιστράτου διόρθωσιν ἀναφέρουσιν, Ὀρφεῖ Κροτωνιάτῃ, Ζωπύρῳ Ἡρακλεώτῃ, Ὀνομακρίτῳ Ἀθηναίῳ καὶ καγ ἐπὶ κογκυλω.

---

[27]) athenien. cod. [28]) Qum cod. [29]) Nam ol. LXXII duobus cod. [30]) industria cod. [31]) quattuor regnis coniecit Ritsch. [32]) l. l. p. 36—71. [33]) programm. de Pisistrato Homeri carminum instauratore. Kiel 1839. [34]) uol. I. pag. 6, quae ex scriptione Anonymi Περὶ κωμῳδίας sumpta sunt.

De ratione autem quae inter Graecum grammaticum et Latinum intercedat Ritschelius[35]) optime dicit Graeca et Latina etsi in plurimis locis satis inter se congrua, tamen ad uerbum minime quadrare, uerum sic potius differre, ut binos grammaticos ex eodem quidem fonte, sed seorsum et cum discrimine hausisse appareat. Quod Ritschelius Minerua haud inuita diuinasse nobis uidetur ratis grammaticum et Latinum et Graecum e Tzetze hausisse, grammaticum autem Latinum Tzetze auctore usum esse iam Dindorfius uidit.

Denique Henricus Keilius communem scholiorum fontem Ioannis Tzetzae prolegomena scholiorum in Aristophanis Plutum et Nubes repperit repertaque edidit[36]). Ibi scripta exstant haec (pag. 116.):

εἶπον συνθεῖναι τὸν Ὅμηρον ἐπὶ Πεισιστράτου ἑβδομήκοντα δύο σοφούς, ὧν ἑβδομήκοντα δύο εἶναι καὶ τὸν Ζηνόδοτον καὶ Ἀρίσταρχον· καίτοι τεσσάρων ἀνδρῶν ἐπὶ Πεισιστράτου συνθέντων τὸν Ὅμηρον, οἵτινές εἰσιν οὗτοι· ἐπικόγκυλος, Ὀνομάκριτος Ἀθηναῖος, Ζώπυρος Ἡρακλεώτης καὶ Ὀρφεὺς Κροτωνιάτης.

Ibidem pag. 118 leguntur haec:

τὰς Ὁμηρείους δὲ (sc. βίβλους) κατεξαίρετον πρὸ διακοσίων καὶ πλειόνων ἐνιαυτιῶν Πτολμαίου τοῦ Φιλαδέλφου καὶ τῆς διορθώσεως Ζηνοδότου συντέθεικεν σπουδῇ Πεισίστρατος[37]) παρὰ τῶν τεσσάρων τούτων σοφῶν. ἐπὶ Κογκύλου, Ὀνομακρίτου τε Ἀθηναίου, Ζωπύρου τε Ἡρακλειότου καὶ Κροτωνιάτου Ὀρφέως. οὕτω μὲν ἐν χρόνοις τοῦ Πεισιστράτου τοῖς τέσσαρσι τούτοις σοφοῖς αἱ Ὁμηρικαὶ συγγραφαὶ τεμαχίοις περιφερόμεναι συνετέθησαν καὶ βίβλοι ἐγένοντο. — καὶ ὁ πεφυρμένος καὶ βδελυρὸς Ἡλιόδωρος, οὐκ εἰδὼς ὅτι ληρεῖ — ἐπὶ Πεισισ-

---

[35]) in libello: corollarium disputationis de biblioth. Alexand. deque Pisistrati curis Homeri pag. 5. [36]) in „Rhein. Mus. VI n. F.“ pag, 108 seqq. et pag. 243 seqq. [37]) πεισιστρά cod. Lehrsius in eodem „Rhein. Mus. XVII pag. 496 παρὰ uideri dittographiam ex στρατ censet.

τράτου τὸν Ὅμηρον συντεθῆναι καὶ ὀρθωθῆναι ληρῶν παρὰ τῶν $\overline{οβ}$ —.

Hos igitur fontes habemus recensionis carminum Homericorum Pisistrateae. Ex quibus apparet totam antiquitatem de hac re consentire Pisistratum de carminibus Homericis egregie meritum esse, sed qualia sint ejus merita, cum accuratius nusquam definiantur, incertae adhuc fluctuant uirorum doctorum coniecturae.

CAPUT II.

Quae a recentioribus sint coniectata.

De studiis Pisistrati Homericis uirorum memoriae recentis iudicia possunt distribui in classes duas. Nam alteri, qui carmina complurium poetarum arbitrentur fuisse Iliadem et Odysseam, Pisistratum, utpote qui uersus ordinarit et conglutinarit (ὁμήρης), uerum Homerum, alteri, qui ab uno poeta uniuersa profecta esse statuant, Pisistratum, quippe qui carmina confusa in ordinem redegerit, alterum Homerum habent. Atque illorum dux est Wolfius, horum ducem haud scio an liceat nominare Nitzschium. Etiam de alia re multi multa disputauerunt. Priusquam enim scholium Plautinum inuentum esset, coniecturis assequi tentabant, quinam essent socii illi Pisistrati, alii de aliis cogitantes. Sed illo scholio inuento difficultates non omnino sunt superatae. Quid autem recentiores de hac re sentiant, infra scribam, sed omnia omnium iudicia enumerare neque possumus in tanta librorum de hac re scriptorum copia neque opus ducimus, cum uerbis magis, quam sententiis discrepent.

De hoc autem omnes cum recentiores uno ore consentiant Pisistratum carmina Homerica recensuisse, quomodo et cur et quibus auxiliis sententiae uirorum doctorum uariae

sunt discrepantesque. Wolfius in prolegomenis[1]) breui in conspectu ponit, quae de quaestione nostra homines ante se statuerint:

„Illi fere Pisistrato dare uidentur, ait, codices singularum rhapsodiarum a poeta forte, ut Suidas docet, in uariis urbibus, quas obierat, relictos dicam an oppigneratos: his codicibus instructum illi credere uidentur (nam affirmate loqui non audent) confusionem paullatim a sarcinatoribus carminum factam sustulisse ac non tam nouum ordinem designasse, quam pristinum et genuinum restituisse — omninoque tantum in hoc negotio relinquunt homini, qui ex eo ipso maximam famam eruditionis consecutus est, quantum hodie interdum neglegentiores scriptores relinquunt curae typographorum.“ Ipsius uero Wolfii sententia haec est: uocem totius antiquitatis et si summa spectetur consentientem famam testari, Pisistratum carmina Homeri ‚*primum*‘ consignasse litteris et in eum ordinem redegisse, quo nunc legantur. Et collecta, non recollecta carmina esse. Dubium autem ei est, utrum ueteres uni Pisistrato tribuerint negotium an, ut saepe faciant, ad eum auctorem retulerint, quod hortatu eius et auctoritate factum sit; fortasse fuisse plures, qui Pisistrato adiutorium facerent ueluti Orpheum, Onomacritum, Simonidem Ceum, Teum Anacreontem, quorum quemque uideri illi ad ordinanda carmina operam suam praebuisse. Cum Wolfio prorsus facit G. Muellerus.[2]) Neque dissentit Lachmannus[3]), qui Pisistratum primum contendit nonnullis adiuuantibus carmina illa a multis poetis scripta et cantibus tantum rhapsodorum memoriae tradita scriptura persecutum esse et in totum ordinasse; quam editionem (loquitur tantum de Iliade) euulgatam unius esse poetae habitam ita, ut ab Pisistrati aetate iam Ilias, quae nunc sit, eadem fuerit. Quorum sententiam sequitur Sengebuschius[4]) qui censet primum

[1]) pag. CXLIV. [2]) in lib. „homerische Vorschule“. Leipz. 1824 et 36. [3]) „Betrachtungen über die Ilias“ pag. 31 et 34. [4]) in dissertatione Homerica posteriore pag. 27 seqq., quam inuenies praemissam Dindorfii editioni Hoerim Odysseae. Lips. 1856.

Pisistratum, Atheniensium tyrannum, Iliadis et Odysseae partes e dissipatione illa retraxisse operaque uirorum doctorum adiutum colligenda omnia „disiecta quasi membra poetae“, ordinanda, litteris curasse describenda. Pisistratum[5]) et ipsum ordinem procul dubio multis locis mutasse et arctioribus quasi laqueis extrema carmina cum initiis subsequentium colligasse et aliis quoque locis, qui aperte inter se pugnare uiderentur aut eiciendo aut addendo carminum prospexisse aequalitati. Denique Lauerus[6]) Pisistratum scribit primum carmina illa popularia iussisse tota litteris mandari, quo factum esse, ut illa proferret in maiorem notitiam, quam cum canerentur et carptim legerentur, fieri posset. Illumque adductum esse ad ea colligenda, quod haud ignarus, quantum Homerus ad animos hominum mouendos ualeret, maximam uim habiturum eum ad tyrannidem suam Atheniensibus commendandam sperasset.

Sane quidem nimium tribuit Wolfius testimoniis et mirum in modum excessit ueri fines, at parum eis addicere uidentur nonnulli ex eis, qui in sententia Wolfiana illa summo omnium prius fauore excepta de origine Homeri carminum refellenda uersantur perhibentes haud ita magna esse Pisistrati de carminibus restituendis merita. Sed Nitzschius[7]) quidem, Ulricius,[8]) Welckerus[9]) sententiam Wolfianam adorti sunt eo certe iure, quod ille *primum* Pisistratum Homeri carmina litteris mandasse contendit.

Ac Nitzschius in meletematis[10]) iudicat Pisistratnm maxime hoc sibi proposuisse uideri, ut summo studio plena Homeri exempla a rhapsodis, penes quos ad istam usque aetatem solos scriptorum carminum exempla et usus fuisset, pararet atque imprimis negotia illa ludos publicos et sacra nec nisi reipublicae usum spectasse. Sed rhapsodos neque deinceps Homeri carmina habuisse omnes neque integra.

---

[5]) ibid. p. 112. [6]) homerisch. Nachlass I uol. Berol. 1851. [7]) melet. fasc. I pag. 160. [8]) l. l. pag. 253. [9]) ep. eyc. p. 386. [10]) fasc. I pag. 166.

Ita conquirendam et dirigendam Homeri poesim fuisse. Homericorum igitur carminum exempla Athenis primum edita esse. In eodem libro Nitzschius minime uerisimile ducit ab Onomacrito adiutum esse tyrannum tum propter temporum rationem tum quod Onomacritus longe alio in genere satageret, neque a Laso — de quo Kreuserus cogitauerat — neque a Simonide, neque ab Anacreonte, sed a solo fortasse Orpheo. Verum in programmate[11]) postea edito: „Scholium, ait, Plautinum repertum cum quaedam, quae negaueram, confirmari et totum Pisistrati institutum illustrari uidissem, nihilo tamen minore gaudio excepi. Porro depono illam, qua eram sententia et ne Homeri quidem carmina a Pisistrato in sollemnem tantum rhapsodorum usum, sed simul editionem ad legendum exactam atque commodam paratam et editam esse profiteor.“ Hoc iam libello quattuor illos uiros Pisistrati adiutores ducit, quos paucula ex suopte ingenio interpolasse putat. In tertio[12]) autem libro nuper uulgato, sibi persuaderi negat uiros a Pisistrato ad „opus illud diuinum“ adhibitos ingeniose carmina immutasse, quoniam, quaecumque Homerica habuerint, haud examinata in duo illa uolumina eos recepisse appareat.

Aliter Ulricius[13]) statuit, rhapsodos, qui singulas carminum Homericorum partes cum res postularent, ad libidinem conectere solerent, contextum multis modis perturbasse, hoc modo carmina permixta et dispersa Pisistratum disposuisse eisque inter se comparatis pristinum restituisse ordinem. Plenas integrasque editiones praesto ei fuisse uerisimile non uideri, quoniam eius cura ac studium superuacaneum atque inutile futurum fuerit sed alibi tales fuisse cum ante Pisistratum putandum esse. Merita autem Pisistrati apud solos Athenienses ualuisse editionemque illam parum criticam esse habitam. Similiter Welckerus[14]) censet Pisistratum Homeri

---

[11]) quod laudaui in cap. I. not. 33. [12]) quem memoraui in cap. I. not. 5. [13]) cf. cap. I. not. 2. [14]) episch. Cycl. I. p. 376.

carmina tota litteris descripta publice Athenis deposuisse, sed exempla antea fuisse plena, uelut Cynaethi, cui Homeri recensio assignari uideatur. Veram esse illorum sententiam, qui Iliadem et Odysseam ex oribus rhapsodorum aut e singulis partibus scripturae mandatis a Pisistrato compositas esse contendant.

Porro Ritschelius[15]) iudicat, dubium non esse, quin Zopyrus et Conchylus ad nostram usque memoriam omnino ignotus et Orpheus Onomacrito duce usi Pisistrato tyranno carmina Homeri recensuerint. Atque totius antiquitatis esse uocem, quatenus audiatur, opera Pisistrati magnum quid et proprium pro Homeri carminibus esse effectum — opus diuinum appellari a grammatico — quippe qui sparsam prius Homeri poesim, cuius contextus solutus fuisset a rhapsodis singulas partes recitantibus, iu ea, quae nunc exstarent uolumina, redigeret centextumque scriptis totorum operum exemplis instauratum in omne aeuum seruaret; atque eum carmina in festorum et in bibliothecae usum ordinasse.

Jam uero Westermannus[16]) si non primam carminum descriptionem nec primam conformationem ex singulis priorum aetatum cantiunculis ad illa duo corpora a Pisistrato factam, at magnum de Homero meritum ex locis, quos supra enumeraui, coniecit. Perturbationis originem eandem statuit, quam priores neque Pisistratum poemata Homerica collegisse et ad totum contexuisse negat. Immo uero si id non fecisset, Alexandrinos haud dubie futuros fuisse infitiatur carminibus ita, ut habeamus, memoriae nostrae tradendis. Adhibitos autem esse quattuor, qui, quaecunque ducta essent Homerica, ad usum et publicum et priuatum componerent.

Tum Bernhardyus[17]) affirmat Wolfium recte iudicaturum fuisse de Pisistrati curis, si uerba „consignasse litteris et“

---

[15]) in libello: die alexandrin. Biblioth. etc. pag. 36—71. [16]) „Pauly's Real Encyclopaedie: s. u. Homer“. [17]) Grundriss der griech. Litteraturg. ed. II. part. I. pag. 90 seqq.

omisisset, Pisistratum reuera primum carmina in eum ordinem redegisse, quo nunc legerentur. Id potissimum illum egisse, ut summam carminum retractaret, quae elegantia quadam compositionis partium singularum et dispositionis membrorum iungendorum corrigenda essent. Qui illa recensuerint, dubium non esse, quin multa e diuersissimis locis exempla inter se contulerint et Pisistratus ita instituerit carmina ut Athenienses eis et diebus festis et in scholis uti et in bibliotheca poetarum ea deponere possent. Contra Friedlaenderus[18]) Pisistratum negat illo consilio id fecisse, sed illud tantum in animo habuisse, ut splendor festorum augeretur. Quod uoluerit, id assecutum esse, cum ex diuersissimis contextus formis, qui in rhapsodorum usu esset, ita ordinaret Homerum, ut uiris doctis recensio pristinorum ordinum simillima probari posset. Denique Kirchhoffius[19]), qui nihil noui quidem profert[20]) de origine Odysseae coniciens ortam esse ex simplici carmine, quod non sine consilio paullatim amplificatum sit, sed nouo ac singulari modo, quae cogitauit, peregit, de nostra quaestione ita fere iudicat. Circiter L. Olympiadem Odysseam eadem fere forma, qua etiamnunc, eamque Pisistrateae recensionis fundamentum fuisse. Pisistrati uero socios nihil antiquius habuisse, quam ut lectionem constituerent, quae postea esset reddita uulgata eosque uersus interpolasse nonnullos censet.

Haec recentiorum iudicia de recensione Pisistratea memoratu digna habuimus, e quibus quid sit nobis probandum, nunc erit uidendum. Maxime autem impedimur ea re, quod ex fontibus ipsis ueterum parum haurire, sed ceniecturis tantum assequi possumus. Et qui multa coniectat, saepe errat. Cui errori eo magis uenia detur, quod multos et doctissimos uiros tota hac quaestione errasse constat.

[18]) die homerische Kritik von Wolf bis Grote. Berol. 1853. [19]) die homerische Odyssee und ihre Entstehung. Berol. 1859 pag. 13. [20]) Hartel: „Untersuchung über die Entstehung der Odyssee," in d. Zeitsch. für oestreich. Gymnas. XV. VII. pag. 473 (1864).

CAPUT III.

De recensione Homeri Pisistratea quid statuendum uideatur.

Plerisque si Pisistratum optime de carminibus Homericis meritum esse persuadere uellemus, ab ea sententia nobis proficiscendum esset, quam nunc omnes fere philologos secuti Iliadem et Odysseam statim ab initio litteris mandatas et ex perfecto consilio panctas esse arbitrantur. Sed quoniam nobis propositum non est, ut Pisistratum ob merita illa quam maxime celebremus, sed ut sine ira et studio e fontibus hauriamus, ne curare quidem satius erit, utram unus poeta an multi illa carmina condiderint, quippe quae res ad disputationem nostram nihil ualeat.

Primum igitur uideamus, quid ex fontibus illis efficiatur. Quod si statuerimus, norma inuenta erit, qua recentiorum iudicia metiri possimus.

Alia quidem uerba, quae scriptores ueteres adhibuerunt ad narrandum, quid de poematis Homericis Pisistratus fecisset, exprimunt tyrannum ea *collegisse* (ἤθροισα (epigr), ἠθροίζετο (Pausan.), συναγαγών (Aelian.), συλλογή (Liban.)) alia *composuise* (συντεθῆναι (Joseph.), συνετέθη καὶ συνετάχθη (Suid.), disposuisse (Cicer.), οἱ συνθέμενοι (Eust.), in ordinem, redegit (schol. Plaut.) συνετέθησαν (Tzetzes).) Inter uerbum colligendi et disponendi est quidem discrimen, id quod Westermannus animaduertit[1]), sed illud nihil refert, cum scriptorum unusquisque id premat, quod ei uidetur grauissimum neque id omittendum est, quod omnes studia Pisistratea uerbis tantum tangunt. Utrumque certe ad Pisistratum pertinere putandum nobis erit, qui et collegit et composuit disiecta membra poetae. Nodum autem in scirpo quaesiuisse nobis uidentur, qui alterutrum magis premendum esse opinati sunt. Jam uero ueteres carmina ad to-

[1]) In libro, quem supra memoraui in pag. 18. not. 16.

tum prius coniuncta fuisse tradunt, sed esse confusa, quippe quae carptim decantarentur (σποράδην τὸ πρὶν ἀεὶ δόμενον). Nostro enim indicio Pausaniae uerbum διεσπασμένα indicat partium coniunctarum distractionem. Itaque hoc teneamus, *Pisistratum carmina Homerica, quae prius ad totum coniuncta rhapsodi carptim decantantes perturbaverant, collegisse et in eum ordinem redegisse, quo nunc leguntur* (hoc enim diserte confirmant Cicero et scholium Plautinum).

At tria sunt, quae huic nostro iudicio aduersari uideantur. Nam forsitan quis mirum duxerit, cur scriptores, qui paulo post Pisistratum fuerunt, studiorum eius Homericorum mentionem facerent nullam, praesertim cum tanti essent momenti, ut memoratu non digna solum, uerum etiam opus essent. Quod scriptorum silentium inexplicabile eis est, qui Pisistratum primum Iliadem et Odysseam ex cantiunculis uariis locis ortis undique congessisse et perscripsisse cum Wolfio censent. Contra si tenemus, Pisistratum nequaquam illa carmina in hanc, quam uidemus, congruentiam primum composuisse, sed amissam restituisse, quid erit, cur meritum instauratoris eius elatum non esse miremur ab eis, qui ne de bibliotheca quidem Pisistratea quidquam nobis retulerunt, qui nihil de Orphicis ad aetatis ingenium tam insignibus memorarunt. Huc accedit, quod scriptores, qui Athenienses essent, tyrannum ciuibus inuisum laudare fortasse ueriti sunt. At cur tacent Alexandrini? Editione quidem Pisistratea ipsa uti non potuerunt, nam Gellio[2]) auctore, ex quo hausit Isidorus[3]), „omnem illam postea librorum copiam Xerxes Athenarum potitus urbe ipsa praeter arcem incensa abstulit asportauitque in Persas. Hos porro libros uniuersos multis post tempestatibus Seleucus rex, qui Nicanor appellatus est, referendos Athenas curauit.“ Neque uero certo scire licet,

---

[2]) n. A. VI. 17. [3]) VI. 3. 3.

utrum inter hos libros a Seleuco relatos carmina quoque illa fuerint necne. Quamquam Alexandrinos exemplar Pisistrateum ipsum in manibus habuisse uerisimile non est, dubitare tamen non possumus, quin editionis Pisistrateae descriptae ad Alexandrinos propagari posset contextus. Nam profecto Ritschelio assentiendum erit statuenti Alexandrinos aliqua forma carminum, quae ueterem auctoritatem haberet, pro fundamento usos esse ita, ut, cum quaedam aliis auctoritatibus attemperarent, tamen ad illam tamquam normam se componerent. Hoc autem fundamentum manifesto non aliud fuisse, quam recensionem Pisistrateam, quae in uulgatae modum obtinuisset. Hanc igitur conditionem omni negotio subiectam illos secutos esse tacito consensu. Arbitrandum igitur nobis est, quomodo nos nunc operam dare consueuimus, ut contextum ab Aristarcho constitutum restituamus, eodem modo Alexandrinos ad recensionis Pisistrateae normam editionem direxisse neque fines transiisse. Nam etiamsi haud dubie tam gnari erant, quam posteriores, quos uersus Pisistratus interpolasset, remouerunt tamen nullos. Quod autem non saepius diserte ad illum auctorem relegant, non offendit, quandoquidem, quantum Pisistrato deberetur, inter omnes constabat. Tum uero fieri potuit, ut Alexandrini libris descriptis ἀρχετύπου illius fidem auctoritatemque assignare et ex hoc se hausisse simulare uererentur eo magis quod temporum longinquitate permulta falsa subrepsisse haud ignorabant.

Denique saepius quam uidentur ad Pisistratum prouocant. Nam uiri doctissimi euicerunt[4]) libros illos, qui κοιναὶ uel κοινότεραι et illos, qui haud multo ab his diuersi[5]) δημώδεις uocantur, ex editione Pisistratea haustos esse, ut cum hos memorant, illos indicant. Postremo permagni momenti est,

---

[4]) Nitzschius in programmat. pag. 27 sqq. Ritschelius in libro: „die alexandrinische Bib. pag. 60. W. Ribeckius in Philol. VIII. p. 470. — [5]) Wolfius n proleg. CLXXX.

quod Aristarchus Homerum fuisse Atheniensem opinabatur, quod Attice potissimum strueret uerba.[6]) Quam opinionem licet Aristarchus sibi finxerit, id quod Sengebuschius[7]) censet, id ipsum testimonium nobis uidetur grauissimum, omnia exempla, quibus Alexandrini usi essent, ex Pisistrateo fluxisse; editionem igitur illam Atticam fundamentum omnium posterarum fuisse.

Jam uero demonstrandum erit eum locum, quem apud Diogenem Laertium legimus, iudicio nostro de Homero Pisistrateo non repugnare. Quem quod grauissimus est multisque uirorum doctissimorum[8]) et explicationibus et mutationibus tentatus, iterum apponere placet:

τά τε Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψῳδεῖσθαι, οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον. μᾶλλον οὖν Σόλων Ὅμηρον ἐφώτισεν ἢ Πεισίστρατος, ὥς φησι Διευχίδας ἐν πέμπτῳ Μεγαρικῶν. ἦν δέ μάλιστα τὰ ἔπη ταυτί· „οἱ δ' ἀρ' Ἀθήνας εἶχον καὶ τὰ ἑξῆς.

Totum profecto uertitur in recto percipiendo et definiendo uerba ἐξ ὑποβολῆς. Nam si id significari, quod apud Diogenem legitur „οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον“ putabis, ante Pisistratum Solonis opera arbitrandum tibi erit ordinata quidem fuisse carmina, neque uero in talem continuationem seriemque rerum, ut omnia inter se apta colligataque essent, sed a Solone distributa potius esse, ut primum haec, tum illa, deinde alia rhapsodia, sicuti posceret rerum ordinis ac temporum ratio, decantaretur, ita ut certa quaedam et commoda ῥαφή efficeretur[9]), a Pisistrato

---

[6]) cf. Jahn. annall. 67. 3. p. 252 sqq. [7]) dissert. Hom. II. pag. 4. — [8]) cf. Duentzerum in libr. de Homero deque epico cyclo pag. 12. [9]) Similiter Wolfius in proleg. pag. CXLI.: „uidetur mihi Solon hoc instituisse, ut cum prius singulares rhapsodiae sine ullo ordine rerum et temporum canerentur, id est ut in uno conuentu primum Ulyssis Νίπτρα aut Μνηστηροφονία, mox Νεκύια siue Νεκυομαντεία — decantaretur, ita partes distribuerentur pluribus rhapsodis, ut alio alium excipiente deinceps perpetua et commoda ῥαφή efficeretur.“

vero pristinum et genuinum ordinem restitutum esse. Itaque Welckerus[10]) perperam iudicasse uidetur, qui narratiunculam Dieuchidae scriptoris ueram haberet, ab eo credi non posse Pisistratum carmina collegisse et ordinasse. At ἐξ ὑποβολῆς ne recte quidem explicatur a Diogene, immo cum Niszschio[11]) et Bernhardyo[12]) definiendnm est: „nach gegebener Vorschrift“ aut „nach Anweisung und Instruction“[13]). Nam ἐξ ὑποβολῆς ὀμνύναι[14]) est uerbis conceptis uel in praeeuntis uerba iurare et ὑποβολεύς siue monitor[15]) siue χοροδιδάσκαλος[16]). Ergo statuendum nobis est, rhapsodias carptim prius litteris mandatas fuisse, ad quorum exemplorum normam cantum rhapsodi exigere deberent, Pisistratum uero eum rhapsodiarum ordinem restituisse, quem genuinum haberet. Quod si ita est, recte discernere possumus, quid fuerit meritum Solonis de Homero, quid Hipparchi, de qua re infra. Falsa autem illa, quae apud Diogenem additur interpretatio utrum e Suida, ubi eadem legitur, illata esse uideatur, quam Nitzschii sententiam reiecit Bernhardyus, doctissimus Suidae interpres, sese nullum repperisse huius modi contagionis exemplum, quae a Suidae copiolis profecta ad Diogenem permanarit, testatur, an ipsius Diogenis errori deberi putandum sit, integrum atque iniudicatum relinquendum nobis est. Quae uero sequuntur uerba, ea pro integris haberi nequeunt. Lacunam enim inter Πεισίστρατος et ὥς φησιν esse apparet. Quam Ritschelius[17]) ita explendam coniecit:

μᾶλλον οὖν Σόλων Ὅμηρον ἐφώτισεν ἢ Πεισίστρατος, ὅσπερ συλλέξας τὰ Ὁμήρου ἐνεποίησέ τινα εἰς τὴν Ἀθηναίων χάριν, ὥς φησι Διευχίδας ἐν πέμπτῳ Μεγαρικῶν.

Quae scribenti Diogeni Ritschelius arbitratus est opinionem obuersatam esse, si Pisistratus ὁ φωτίσας τὰ Ὁμήρου[18])

---

[10]) episch. cycl. p. 388. [11]) melett. II pag. 132 seqq. [12]) l. l. part. II pag. 95. [13]) in Nitzsch. lib.: Sagenpoesie pag. 414. [14]) Polem. apud Macrob. V. 19. [15]) Meineck. comm. misc. p. 42. cf. Plutarch. reipubl. ger. praec. 7, [16]) Bernhardy, l. l. p. 94. [17]) l. l. pag. 65. [18]) apud Aelianum legimus ἀπέφηνε“.

ab omnibus laudaretur, Solonem re uera multo melius de carminibus meritum esse, quoniam id potissimum egisset, ut licentiam rhapsodorum coerceret, quo factum esse, ut contextus ad fidem exemplorum scriptorum traderetur, sed Pisistratum ex libidine agentem egregio merito offecisse. Similiter etiam Lehrsius[19]): „Es kommt, inquit, ein ganz guter Gedankenzusammenhang heraus, wenn man versteht: durch diese nach Attica eingeführte Sitte, den Homer hintereinander vorzutragen, hat Solon die Bekanntschaft und die Berühmtheit desselben in Attica mehr verbreitet, als Pisistratus dadurch, dass er ihn den Atheniensern durch eingeschobene Verse zu ihrem Ruhme anziehend machte.“ Cui interpretationi astipulandum mihi uidetur relegata ea, quae legitur apud Fabricium[20]), uerbum φωτίζειν accipiendum non tam de gloria, quam ex Solonis instituto consecutus fuerit Homerus, quam de faciliori eius carmina intelligendi ratione propterea, quod ille plus omnino carmini rite interpretando conferat, qui illud dispersum in ordinem redegerit, quam qui in ordinem redactum in libros distinxerit. Hac commoda interpretatione admissa, Harlesius addit, dubito num cum Ignatio[21]) Rossio uerba μᾶλλον et cetera eicienda et pro adnotatione inepti cuiusdam habenda sint. Neque nos id credimus, sed primam interpretationis partem rectissimam esse, illud contra ineptum arbitramur Solonem carmina ordinasse, Pisistratum ordinata in libros tantum distinxisse.

Denique silentio transeamus Nitzschii[22]) opinionem Dieuchidam Megarensem Solonis gratia Pisistrati merito obtrectasse a Ritschelio[23]) optime refutatam. Itaque aut toto coelo a uero aberramus aut non obstat Diogenis locus sententiae supra expositae.

Restant Platonis uerba, quae facit in Hipparcho[24]):

τὰ Ὁμήρου ἔπη πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνί καὶ

[19]) Rhein. Mus. XVII pag. 492. [20]) biblioth. Graec. I pag. 353. not. [21]) in commentar. Laertian. Rom. 1798 edito. [22]) in libro „indagand. per Homer. Odys. interpol. praep. I. pag. 29. [23]) l. l. pag. 66. [24]) 228. B.

ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς Παναθηναίοις ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς αὐτὰ διιέναι, ὥσπερ νῦν ἔτι οἵδε ποιοῦσιν.

Atque Aelianus[25]), qui e Platone hausisse sese profitetur, quae de Hipparcho narret, sic ait:

οὗτος (sc. Ἵππαρχος) καὶ τὰ Ὁμήρου ἔπη ἐκόμισεν εἰς Ἀθήνας καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαφῳδοὺς τοῖς Παναθηναίοις αὐτὰ ᾄδειν.

Sed huic narrationi fidem abrogant ea, quae de Homericorum carminum collectione Pisistratea nobis traduntur. Praeterea haec splendida ratio dicendi est et nimis laudibus plena[26]) ita ut uel Aelianus uerba exscribens non posset non diserte addere subditicia ea uideri. Et carmina Homerica antea ignota fuisse Athenis nemo nisi rerum antiquarum prorsus ignarus facile crediderit, sed tota narratiuncula suspicionibus iustissimis obnoxia est[27]). Nec uero uerisimile nos quidem putamus, Platonem Athenienses, qui ante Hipparchum fuerant, tam rudes sibi finxisse, ut de Homero nihil audissent eumque prorsus ignorarent, sed totum Homerum ab Hipparcho primum inductum esse Athenas, quippe qui rhapsodos ex ordine (quem pater constituerat) carmina deinceps decantare cogeret. Nam id ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς significat longe[28]) diuersum ab illo uerbo ἐξ ὑποβολῆς. Itaque nullum ex ueterum testimoniis nobis refragari uidemus.

Repetamus autem, quae enucleauimus. Totius antiquitatis uox est, rhopsodos carmina Homeri decantantes cum modo hanc modo illam rhapsodiam eligerent, multa permutasse; quorum ut libidinem coerceret, Solonem lege sanciisse, ut singulae partes exacte ad scriptorum exemplorum fidem recitarentur, Pisistratum autem singulas rhapsodias collegisse et in ordinem redegisse. Sic ortam editionem fundamentum fuisse omnium earum, quae sequebantur; denique

---

[25]) V. 8. 2. [26]) Wolf. prolegg. pag. CLIII not.; Welk. ep. cycl. pag. 376. [27]) Payne Knigth. prolegomm. ad Hom. pag. 4. [28]) Nitzsch. melett. II pag. 132 seqq. Welk. episch. cycl. p. 378.

Hipparchum imperasse, ut Panathenaeis carmina ita, ut pater ordinasset, decantarentur.

Quid autem recentiores ex testimoniis ueterum concluserunt? Plerique quidem idem fere, quod nos, sed Wolfius et qui sunt ab eius de Homero sententia, Pisistrati meritum in maius extulerunt, cum eum carmina Homeri *primum* e dissipatione *litteris consignasse* contenderent. In quo modum excessit. Nam singulas carminum partes litteris mandatas fuisse ex scholio Plautino elucet, ubi scriptum est: „carptim prius Homerus et non nisi difficillime legebatur.“ Ad quem errorem ea potissimum sententia nobis deductus esse Wolfius uidetur, quam sibi demonstrandam proposuerat, non unum poetam carmina Homerica composuisse, sed plures. Cum autem nos haec carmina inter se cohaerentia et ordinata habeamus, statuendus ei erat unus aliquis, qui ea collegisset. Atqui multo ante Pisistratum id fieri non potuit, quoniam prioribus saeculis nemo fere scribendo esset, Pisistratum autem id fecisse legit apud Ciceronem, cui fidem libenter praebuit. Sed illud uerbum „primum“, quod addit Cicero, non pluris est momenti, quam multis aliis locis, de qua re Welckerus:[29]) Koennte ich hier alle die Angaben aus alten Autoren, worin durch πρῶτος, primus die Geschichte der Litteratur und Kunst, der Wissenschaft u. s. w. unbestimmt, ungenau und falsch dargestellt ist, mittheilen, so würde man staunen, wie gar nichts dies primus eines Cicero bedeute.“ Similiter alio[30]) loco dicit.

Sequitur ut quaeramus, quid Pisistratum impulerit, ut carmina Homerica colligeret. In scholio, quod supra[31]) scripsimus carmina σύγγραφον διαφυλλάττεσθαι eum uoluisse legimus. Quae sane causa esse potuit, praesertim cum Pisistratidae artium liberalium studiosissimi nihil antiquius haberent, quam ut poetae optimi et praeclarissimi carmina

---

[29]) ep. cycl. p. 386. [30]) Klein. Schrift. I pag. 167 seqq. [31]) cap. I. pag. 11.

ordinarent et posterorum memoriae traderent. Id eo magis probandum nobis erit, quod et Pisistratum etiam alia carmina colligi iussisse ueluti per Cecropem [32]) Hesiodi poemata, et multos poetas in aula Pisistrati atque Hipparchi, qui hac in re successor patre dignus erat, uersatos esse legimus. Ut igitur cultum atque humanitatem, poesim atque litteras [33]) aleret cum operam quam maximam daret, quî fieri potuit, ut Homerus eum effugeret? Ad carmina igitur Homerica et ciuibus et posteris tradenda dispersis rhapsodiis collectis editionem ad legendum commodam atque accuratam parauit. Accedit illa quoque causa, quod Pisistratus bibliothecam [34]) Atheniensem instituit, cum primus libros, qui ad disciplinas liberas pertinent, publice Athenis ad legendum praebendos curasse dicatur. Atque uerbis satis perspicuis scholiasta Plautinus his „nam carptim prius et non nisi difficillime legebantur“ collectionem Homero ad bibliothecae explendae studium refert. Alios autem ac poetarum libros colligere uix potuit. Sed ut exempla conferret quam plurima de emptione cogitare non licuit, cum haud ita multi libri tum temporis scripti exstarent. Pisistratus igitur a uiris idoneis describi carmina iussit et in bibliotheca posuit, ut, [35]) qui sibi libros comparare uellet, bibliothecam adire posset ad exempla transcribenda. Et posuit haud dubie Homerum omnium primum. Praeterea Pisistratus fuit tyrannus callidus et publici fauoris appetens egensque. Quid? Iliadem quod ordinabat et seruabat, ut Panathenaeis tota decantari posset, num est mirandum? Festis enim splendidis et ludis et arte ornatis tum opus erat ciuitati, quae id potissimum agebat, ut auctoritatem opesque sibi compararet. Falso autem Friedlaenderus [36]) hac sola ratione motum esse iudicat. Nam

---

[32]) Ritschel. l. l. pag. 54. [33]) Nitzsch. melet. I. pag. 158: „Non is fuit Pisistratus, qui ciuibus artes ingenuas inuideret.“ [34]) Athenae. I. 3a. Gellius VI. 17. [35]) Nitzsch. melet. I. pag. 160. [36]) in libro, quem supra laudaui in cap. II not. 18, pag. 19.

quis est, qui Odysseam Panathenaeis etiam decantatam esse contendat?[37])

Iam uero moueri potuit Pisistratus auctoritate, qua Homerus apud animos populi multum ualebat. Cantabat autem hic poeta:[38])

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω
εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκολομήτεω.

Talia cum caneret nescio an sic quoque aliquid conferre uisus sit ut tyrannide Atheniensium animos assuefaceret. Tum uero ut patriae gloriae prospiceret, hoc consilium capere poterat, ut poetam, id quod illud epigramma[39]) significat, Athenis natum celebraret. Quod ut fieri posset, uersus eum interpolare non dubitasse infra uidebimus. Reliquum est, ut fuisse memorem, qui[40]) Pisistratum gloriae domesticae seruientem carmina collegisse contenderent, ut Neleidas, suos ipsius proauos,[41]) se ipsum decoraret laude, aut ut ἐκ[42]) Φιλαιδῶν ortus qui Aiacem colerent Eponymum, cum heroe Salamineo se ipsum celebraret.[43]) Videmus igitur apud eum permultas sane causas ualuisse, ut carmina colligeret, sed praecipuae fuisse mihi uidentur, quod bibliothecam et festos pulicos carminibus Homericis ornare uoluit.

Venimus nunc ad eam quaestionis nostrae partem, ubi de uiris, quos adhibuit ad colligendum, dicendum nobis est. Neque iam interrogare nos opus est, utrum ueteres uni Pisistrato tribuendum esse putarint negotium illud an hortatu eius plures carmina in ordinem redegerint.[44]) Nam a uiris doctissimis eum adiutum esse pro certo atque explorato habemus. Sed ante scholium Plautinum inuentum Wolfius, cuius sententia Müllero,[45]) ut fere semper, probatur, ἑταίρους illos fuisse Onomacritum, Orpheum, Simonidem, Anacreontem

---

[37]) Nitzsch. indagand. p. 32. Welcker. ep. cycl. p. 389. Ritsch. l. l. pag. 53. [38]) Iliad. II. 204 et 205. [39]) quod supra laudaui in cap. I. pag. 7. [40]) Nitzsch. melett. I. pag. 166. et in pogr. pag. 11. [41]) Herod. V. 65. [42]) Plut. Solon. 10. [43]) Kreus: „homerische Rhapsod. pag. 224. [44]) Wolfii prolegg. pag. CLIII. [45]) l. l. pag. 82.

opinatus est. Nitzschius contra in libro,[46]) qui inscriptus est „meletemata historiae“, ut cetera uerba omittamus, inter eos Onomacritum esse potuisse negat, sed in programmate[47]) postea edito sententiam eam rescindit; at illud recte iudicauit neque Simonidem neque Anacreontem neque Lasum[48]) participes fuisse collectionis Pisistrateae, sed Orpheum, hominem mirum et cognitu difficillimum.

Quibus coniecturis finem imposuit scholium Plautinum, quod diserte quattuor uiros Pisistratum adiuuisse tradit eorumque nomina addit, quae testimoniis postea inuentis confirmantur. Sunt autem hi uiri: Onomacritus, Zopyrus, Orpheus, Conchylus. Quorum notissimus est Onomacritus, qui oracula Musaei[49]) et poemata Orphica[50]) collegisse fertur. De quo uiro Ulricius[51]) et Eichhoffius[52]) pluribus disputauerunt. Onomacritus autem carmina Orphica interpolasse et a Pisistrati filio exilio multatus esse traditur. Hoc certe grauissimum est, quod ex eis, quae de Onomacriti uita scimus, concludere[53]) licet, quibus fere temporibus carmina Homerica recensa sint. Herodotus[49]) enim narrat Onomacritum Athenis depulsum ad Xerxis aulam uenisse paullo postquam regnare coepisset. Intersunt autem inter mortem Pisistrati (527) et regni initium Xerxis (485) anni 42. Si igitur ponis Onomacritum 80 fere annos natum ad regem profectum esse, quo anno Pisistratus e uita decessit, 38 fere annorum fuit. Ergo statuendum erit intra ultimos decem uitae Pisistrati annos recensionem Homericam factam esse i. e. inter annum 537 et 527.

Alter est Zopyrus ille, quem poetam Orphicum fuisse et

---

[46]) fasc. I pag. 168. [47]) pag. 10. [48]) Kreuser. „homer. Vorfragen pag. 229.“ [49]) Herod. VII. 6. [50]) Pausan. VIII. 37. 5. et Suidas s. u. Ὀρφεύς· Διονύσῳ συνέθηκεν ὄργια. — [51]) l. l. pag. 481. [52]) progr. Elberf. 1840. [53]) Similiter Nitzschius in progr. pag. 9. Quo programmate nondum lecto hanc ratiunculam iam feceram loco libelli Ritsch., quos saepe audaui, motus, qui locus est in pag. 43.

Κρατῆρας, Πέπλον καὶ Δίκτυον[54]) composuisse a Suida docemur. Etiam poeta epicus haud scio an haberi possit Theseidos[55]) auctor. Sunt qui fuisse Heracleotam[56]), sunt qui Tarentinum[57]), sunt denique qui Colophonium[58]) Zopyrum dicant. Müllerus[59]) autem eum uix ante Olymp. LX. uixisse opinatus est.

Tertius est Orpheus Crotoniates, quem Suidas ἐποποιόν appellat et quem in numero poetarum Orphicorum Pisistrato regnante habendum esse arbitratur. Atque conscripsisse fertur Ἀργοναυτικά, Δεκαετηρίδα καὶ ἄλλα τινά. Lobeckius[60]) quidem haesitat, utrum Orpheus Crotoniates re uera uixisse sit putandus, an inter socios fabulosos illius Orphei fabulosi, qui apud Odrysas fuisse traditur, sit referendus.

Denique quartus Conchylus nobis prorsus ignotus est. Quid? nomen ita deprauatum esse ut uerum nondum restitutum nonne uidetur? An tres[61]) fuisse statuendum est? Nam cum quis uerba legere nequiret ea peruerse interpretatus quattuor fuisse facile opinatus est. Ritschelius quidem Conchylum olim re uera fuisse censet. Bernhardyus contra ne Graeci quidem sermonis speciem ullam prae se ferre contendit, quem Ritschelius[62]) refutauit. Jam Duentzerus[63]) mirum in modum Simonidem Ceum coniecit, Bergkius[64]) Gongyli, Bernhardyus[65]) Eucli Cyprii, si ille chresmologus aetatibus Pisistrateis fuisse statui possit, sed dubitationem ipse mouet, quod gentile desideretur. In scholii autem codice Anonymi περὶ κοιμωδίας iuxta uerba Ὀνομακρίτῳ Ἀθηναίῳ

---

[54]) cf. Bernhardy i. l. l. II. p. 90; Ulricii l. l. I. pag. 472. Lobeck. Aglaoph. I. pag. 353. [55]) Argum. Eurip. Hippol. pag. 4 Valk. [56]) apud Suid. et schol. Plaut. [57]) Jamblichi uit. Pyth. cap. 139. [58]) Diog. Laert. II. 101. [59]) Prolegomm. z. wissenschaft. Myth. p. 384. [60]) Aglaoph. I p. 358. [61]) Et coniecit Bergkius in praef. ad Aristophanem pag. VIII: οἱ δὲ τριαὶ τὴν ἐπὶ Πεισιστράτου διόρθωσιν ἀναφέρουσιν, Ὀ. Κ, Ζ. Ἡ., Ὀ. Ἀ., ὡς Ἀθηνόδωρος ἐπίκλην Κορδυλίων. [62]) in corollarii pag. 44 [63]) de Homero deque epico cyclo p. 23. [64]) de Prooemio Empedoclis pag. 30. [65]) l. l. pag. 89.

καὶ καγ ἐπὶ κογκυλω eadem manu exarati in margine conspiciuntur ductus non integri, sed truncati a bibliopego, ex quibus olim suspicatus est Haasius scriptum fuisse 'Αθηνοδόρῳ ἐπίκλην Κορδυλίωνι. Ac Cramerus annotauit reuera potuisse Athenodorum Cordylionem nominari a grammatico non ut Pisistrati socium, sed ut auctorem, unde sua de Pisistratea recensione traxisset. Lacera autem illa uerba in codice sic expedire Cramerus conatus est, ut se dubitare neget, quin uerba ultima ἐπι κογκυλω ad ἐπικὸν κύκλον aut ἐπικῷ κύκλῳ reuocandum sit. Quam si probaris coniecturam Pisistrato non solum Iliadis et Odysseae partium, sed etiam carminum cyclicorum, quae Homero uulgo adscribuntur collectionem assignaris. Haasius autem quamquam haud sine summa dubitatione de Καρκίνῳ cogitabat. Denique Rothius[66]) quoque coniecturae Cramerianae ignarus ἐπικὸν κύκλον coniectauit et noua ratione interpretatus est. Nam quod gentile desit, nomen proprium in eis uerbis latere infitiatur. Credendum esse in libro quodam uetusto ita scriptum fuisse: συντεθείκασιν ἐπὶ Πεισιστράτου τὸν Ὁμήρου ἐπικὸν κύκλον, sed mendum Ὁμηρον pro Ὁμηρου illatum originem fuisse lectionis, quam nunc habeamus. Ac uerba „τέσσαρες ἄνδρες σοφοί" quendam de suis addidisse. Quae coniectura sane sagacissima si uera esset, totam de recensione Homeri Pisistratea quaestionem peruerteret. Sed cum non prorsus probari possit, melior a nobis proferri nequeat, in medio res nobis relinquenda est et fatendum cum Ritschelio[67]) nos nescire propositarum coniecturarum quae cui praestet.

Pisistratus igitur quattuor uiros ad carmina Homerica ordinanda adhibuit. Quam autem idonei fuerint, de eo nihil traditur, sed si coniciemus ex eo, quod confecerunt, uiros doctissimos et praeclarissimos eos fuisse concedemus.[68]) Quod autem Nitzschius[69]) Onomacritum aptum fuisse nega-

[66]) Rhein. Mus. N. F. VII. p. 137. [67]) in corollar. pag. 50. [68]) Lehrsius l. l. p. 695. [69]) melett. fasc. I. pag. 166.

uerat, quippe qui longe alio in genere satageret, in eo se errasse ipse postea, id quod iam diximus, confessus est. Et plurimum quidem interfuit, ut iis usus suppeteret, sicubi opus erat, apud Homerum hexametra bona producendi. Quae autem ex Homeri carminibus in ordinem redegerunt? Nostra quidem sententia solas Iliadem et Odysseam. An putas eos omnia, quae Homeri nomen gererent, collegisse? Sed si uerba et sententias auctorum exigimus, qui aut duo uolumina ponunt aut ita loquuntur, ut Homeri nomine Iliadem et Odysseam significent, statuendum nobis erit, socios tantum in haec duo corpora carmina ordinasse. Itaque dissentire nobis liceat ab [70]) Ulricii auctoritate.

Jam uero si, quantum fieri poterit, quaeremus, quomodo Pisistratus eiusque adiutores rem aggressi sint, fabellam, quam grammatici narrant, paullum curabimus, sed animi causa addere libet. Postquam Homeri opera perierunt incertum igni an motu terrae an aquis absumpta Pisistratus edixit, ut ex omni Graecia ad se deferretur, si quod Homericum uspiam lateret. Ita inuentus, qui centum uersus, alius, qui mille alius, qui maiorem numerum conferret. Quibus omnibus receptis collectisque 72 grammaticos ipse statim congregauit eosque iussit hanc farraginem in iustum ordinem redigere. In hoc consessu grammaticorum prae ceteris Zenodoto et Aristarcho locus datur. Quod autem ad numerum grammaticorum pertinet, apparet obuersatam esse bono uiro fabulam illam antiquiorem quidem sed haud melioris fidei, qua totidem uiri libros sacros in Graecum transtulisse perhibentur. Etiam Muellerus [71]) opinatur ad singulas rhapsodias declamandas complures rhapsodos arcessitos et ex uariis quas protulissent quasi lectionibus selectam esse a sociis eam, quae Homero dignissima uideretur. Rhapsodos enim tum permultos fuisse contendit, qui largis tyranni muneribus allectati atque inuitati Athenas uenissent. Hae sunt opinio-

[70]) l. l. I. p. 403 not. [71]) homer. Vorschul. pag. 77.

nes; sed opiniones tantum, nec certi quidquam facile afferri poterit. Nostram quoque sententiam si exponere liceat, ita forsitan res se habuerit: Rhapsodiae Homeri cum carptim a rhapsodis decantarentur, non uniuersae describebantur, sed magis magisque separatim circumferri coeptae erant. Socii uero Pisistrati has singulas rhapsodias collegerunt et in ordinem redegerunt, sed cum locis compluribus contexendae essent, arctis quasi laqueis extremas rhapsodias cum initiis earum, quae sequebantur, conectebant, sed non semper id aut fieri poterat, aut non feliciter factum esse ex haud paucis locis perpetuitatem desiderantibus apparet. Sed quamquam quantum operae a singulis praestitum sit, nescimus, tamen Onomacritum ducem eorum fuisse confidentius dixerimus. Nam huic potissimum interpolationes adeo exprobrantur, ut antea ei soli Homeri recensio tributa sit[72]). At si consideraueris, quam magno studio ueteres conixi sint, ut scriptorum poetarumque[73]) opera integra atque incorrupta traderentur, eos in carminibus Homeri ordinandis ex libidine sua pro Homericis uenditasse uix credi poterit, praesertim cum. quam seuere in Onomacritum postea ob interpolationes Orphicas consultum sit, tecum reputaueris. Itaque recte Nitzschius[74]) censet quod in Iliade et Odyssea tanta cernatur morum et opinionum aequabilitas, id etiam nunc documento esse, Pisistrati socios multum sibi temperasse, ne suae aetatis uel sectae opiniones interpolando immiscerent, neque uero eis licuisse in poeta tam trito omnibus et noto. Sed satis uidetur coniecturae indulsisse.

Reliquum est, ut eos locos, quod ab ipso Pisistrato uel ab eius adiutoribus interpolatos esse tradunt ueteres, enumeremus, simulque addemus alios nonnullos, qui, quamquam non horum testimonio damnantur, tamen quod et alieni sunt

---

[72]) Lobeck. l. l. pag. 633. — Nitzsch. melet. I. pag. 164. [73]) Vitt. dec. oratt. 841 F. Aristot. poet. IV, 16. Horat. art. poet. 278. Quint. X. 1. 66. [74]) in programm. pag. 23.

a poesis Homericae proprietate et Atheniensium laudi manifesto seruiunt, ex eodem fonte orti esse uidentur. Odysseae quidem uersus ab illis interpolatos Kirchhoffius[75]) collegit.

Ac primum quidem ad λ, 604 scholium Harleianum Onomacritum hunc uersum interpolasse ex Hesiodi Theogonia (952) sumptum annotat: τοῦτον ὑπὸ Ὀνομακρίτου πεποιῆσθαί[76]) φασιν· Nitzschius[77]) et Bernhardyus[78]) notam spectare etiam proximos uersus affirmant et Lehrsius[79]) uersum 603, non 604 significari. Versus autem sunt hi:

εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
τέρπεται ἐν θαλίῃς καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην
παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου.

Alius iam uersus est λ 631:

Θησέα Πειρίθοόν τε, θεῶν ἐρικυδέα τέκνα.

Plutarchus[80]) enim tradit narrari ab Herea Megarensi Pisistratum ex Hesiodo eum exstinxisse, ὥσπερ αὖ πάλιν ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου νεκύιαν χαριζόμενον τοῖς Ἀθηναίοις. De quo uersu Lehrsius[81]) agit.

Tum uersus B 557 et 558 ab aliis[82]) Pisistrato, quibus consentiendum uidetur, ab aliis Soloni assignantur. Scholia quoque subditicios uersus esse annotant hos:

[75]) l. l. pag, 315—317. [76]) Lobeck. Aglaoph. 333 ἐμπεποιῆσθαι coniecit. [77]) in programm. pag. 25. [78]) l. l. I. pag. 90: Aber nicht bloss die Interpolation (v. 604) geht auf ihn zurück, sondern auch und wesentlich die beiden voraufgehenden; darin liegt nicht eben der rationalistische Sinn, den Hermann opusc. II pag. 170 fordert, sondern in geistiger, den Mysterien verwandter Anschauung wird die doppelte Natur des Menschen der sterbliche Theil und der unkörperliche geschieden. Homer kennt aber weder diesen Gegensatz noch die Apotheose der Heroen: hievon Franke Richtersche Inschr. p. 63 ff., 483 ff. [79]) Rhein. Mus. XVII pag. 501 not. [80]) Thes. 20. [81]) l. l. pag. 499: „Indem wir es dahin gestellt lassen, durch welche sympathetische Tinte dem Hereas der fortgelassene Vers des Hesiodus wieder sichtbar wurde, bemerken wir wie bescheiden Pisistratus (ibi haud dubie falso legitur Theseus) entschlossen seinen Theseus eine Stelle in der Odyssee zu verschaffen, sich mit einem einzigen Verse begnügte und so ungeschickt anbrachte, um — nicht unbescheiden noch einige Verse mit Heroennamen hinzuzudichten, wo dann wenigstens die Unächtheit dieses Verses nicht so ganz offen läge." — [82]) scriptores inuenies apud Sengebuschium enumeratos l. l. II p. 109.

Αἴας δ'ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας.
στῆσε δ'ἄγων, ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες.

Deinde de uersu B 573:

οἱ θ' Ὑπερησίην τε καὶ ἀπειν̣ὴν Γονόεσσαν

scribit Pausanias[83]): Αἰγείρας δὲ ἐν τῷ μεταξὺ καὶ Πελλήνης πόλισμα ὑπήκοον Σικυωνίων Δονοῦσα καλουμένη ἐγένετο μὲν ὑπὸ τῶν Σικυωνίων ἀνάστατος· μνημονεύειν δὲ καὶ Ὅμηρον ἐν καταλόγῳ τῶν σὺν Ἀγαμέμνονι φασιν αὐτῆς ποιήσαντα ἔπος· „οἱ θ' Ὑπερησίην τε καὶ ἀπειν̣ὴν Δονόεσσαν" Πεισίστρατον δὲ, ἡνίκα ἔπη τὰ Ὁμήρου διεσπασμένα τε παὶ ἄλλα ἀλλαχοῦ μνημονευόμενα ἠθροίζετο, ἢ αὐτὸν Πεισίστρατον ἢ τῶν τινα ἑταίρων μεταποιῆσαι τὸ ὄνομα ὑπὸ ἀγνοίας. Ac Nitzschius[84]) cum alii aliis artibus patriae nomen in catalogo cur desideraretur nunc excusarent nunc olim repertum quomodo disparuisse interpretarentur, illos quoque aliquid causae attulisse mirum non esse censet. Sed recte Lehrsius[85]): Diesen einen, inquit, geographischen Namen und das wusste man (und wer? bei andern fand Pausanias in altgriechischen Geschichten eine Γονοῦσα ἡ ὑπὲρ Σικυῶνος II, 4. 4, V. 18. 2.)? Oder mehrere? Wer iemals in den Partien des Strabo hat verweilen müssen, wo die homerischen Ortsnamen, sehr bezweifelt oft und zu Aenderungen Veranlassung gebend, behandelt werden, muss sich doch wahrlich fragen: warum geschieht doch bei Strabo, also bei einem Geographen und Philologen, keine Erwaehnung der Art". Quodsi uerisimile non est, hunc uersum a Pisistrato interpolatum esse, tamen ex uerbis Pausaniae intellegimus tempora fuisse, quibus interpolationes omnes ad tyrannum illum eorumque socios referri solerent.

Denique Eustathius in commentario ad K. 1.[86]): φασὶ δὲ οἱ παλαιοὶ τὴν ῥαψῳδίαν ταύτην ὑφ' Ὁμήρου ἰδίᾳ τετάχθαι καὶ μὴ ἐγκαταλεγῆναι τοῖς μέρεσι τῆς Ἰλιάδος, ὑπὸ δὲ Πεισιστράτου τετάχθαι εἰς τὴν ποίησιν.

---

[83]) VII. 26. 6. [84]) melett. I. pag. 22. [85]) l. l. pag. 502. [86]) cf. supra cap. I. not. 22.

Nonnulli[87]) demonstrare hunc librum deesse non posse conati sunt. At optime Nitzschius[88]) Doloneiam progressum carminis tam male tenere affirmat adeoque inutiliter se iactare, ut ex omnibus Iliadis partibus non altera ad suspectandum promptior sit. Atque Ulricii[89]) sententia probanda uidetur, qui ex eo, quod nullus ueterum scriptor hanc Doloneiam a Pisistrato factam, sed postquam Homericis carminibus innexa allata sit, non spretam dicit, hunc librum a rhapsodis plerumque neglectum Pisistratum in ordinem suscepisse concludit.

Praeterea alii uersus ualde suspecti sine dubitatione ab Atheniensi ciue inserti sunt, quamquam ab ipso Pisistrato nequaquam constat. Nam omnes Athenas celebrant. Huc pertinet, quod in Homeri uita, quae Herodoti nomen fert, Homerus ex Asia Athenas uenisse et aliquot uersus in Atheniensium laudem carmini suo inseruisse narratur. Quae fabula etiamsi ipsa ficticia est, tamen ostendit a ueteribus iam uersus, quos afferemus in suspicionem esse uocatos, sed ab iis fabellam fictam esse, quomodo in Iliadem illati essent. Hos autem in nauium catalogum interposuisse[90]) traditur B 546 seqq.:

546. Οἳ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον, εὐκτίμενον πτολίεθρον,
δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος, ὅν ποτ' Ἀθήνη
θρέψε, Διὸς θυγάτηρ, τέκε δὲ ζείδωρος ἄρουρα
καδ' δ' ἐν Ἀθήνης εἷσεν, ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ·
550. ἔνθα δέ μιν ταύροισι καὶ ἀρνειοῖς ἱλάονται
κοῦροι Ἀθηναίων, περιτελλομένων ἐνιαυτῶν
τῶν αὐθ' ἡγεμόνευε υἱὸς Πετῶο, Μενεσθεύς
τῷ δ' οὔ πώ τις ὁμοῖος ἐπιχθόνιος γένετ' ἀνήρ,
κοσμῆσαι ἵππους τε καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας.

---

[87]) Hugius „Erfindung der Buchstabenschrift" pag. 103. Langius „Versuch die poetische Einheit der Ilias zu beschreiben" pag. 45. [88]) in propramm. pag. 24. [89]) l. l. I. pag. 253 not. 144. [90]) Lehrsius l. l. p. 497.

555. Νέστωρ οἷος ἔριζεν· ὁ γὰρ προγενέστερος ἦεν.
τῷ δ' ἅμα πεντήκοντα μέλαιναι νῆες ἕποντο.

atque η 80 et 81:

ἵκετο δ' ἐς Μαραθῶνα καὶ εὐρυάγυιαν Ἀθήνην,
δῦνε δ' Ἐρεχθῆος πυκινὸν δόμον.

Kirchhoffius[91]) autem uersus inde ab 18 usque ad 86 additicios esse censet, sed in commentariolo fortasse non tam late patere interpolationes ratus illam tantum genealogiam fictam et uersum 63 ab Atheniensibus interpositum esse iudicat. Hi uersus fere omnes a criticis Alexandrinis uirgia censoria notantur.

Praeterea obelo notatus est uersus N 685:

Ἔνθα δὲ Βοιωτοὶ καὶ Ἰάονες ἑλκεχίτωνες

quo uersu Athenienses Ionum nomine commemorantur. Qui si Iones sunt, forsitan illis liceat Homerum sibi ciuem uindicare[92]), quae interpolationis causa fuisse potest.

Tum uersus Δ 328 est suspectus:

ἀμφὶ δ' Ἀθηναῖοι μήστωρες αὐτῆς

quod Athenienses μήστωρες αὐτῆς appellantur.

Deinde in uersu γ. 307 scriptum est:

ἀπ' Ἀθηνάων

in scholio autem Harleiano ἀπὸ Φωκήων, quae lectio uera habebatur, quod Orestes non ab Athenis uenisset.

Denique operam datam esse, ut Theseus in carmina Homerica inferretur, ex eo uersu iam intellegitur, quem supra (pag. 35) memorauimus. Sed cum Homero fabula Thesea ignota sit[93]), hi etiam abiudicandi erunt, λ 321—325:

Φαίδρην τε Πρόκριν τε ἴδον καλήν τ' Ἀριάδνην
κούρην Μίνωος ὀλοόφρονος, ἥν ποτε Θησεὺς
ἐκ Κρήτης ἐς γουνὸν Ἀθηνάων ἱεράων
ἦγε μέν, οὐδ' ἀπόνητο· πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔκτα
Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ Διονύσου μαρτυρίῃσιν.

---

[91]) l. l. pag. XVII. [92]) cf. epigramm., quod supra scripsi in capit. I. p. 7. et Müller. homer. Vorsch. pag. 92. [93]) Müller. l. l. pag. 95.

Etiam illi uersus cum et heroides Athenienses componant cum aliis alius mythi heroibus et Minoem, qui nemini nisi Atheniensibus infestissimus dici potest, ὀλοόφρονα nominent[94]), suspecti sunt.

Denique A 265 hoc in numero est habendus:

Θησέα τ' Αἰγείδην, ἐπιείκελον ἀθανάτοισιν

qui uersus nullo fere uerbo discrepat ab λ 631, quem modo commemorauimus.

Postremo Kirchhoffius hos addit:

η 146: Ἀρήτη, θύγατερ Ῥηξήνορος ἀντιθέοιο

quem uersum aut totum insertum esse censet aut mutatum; mutatus si esset, nomen tantum „Ἀρήτη" germanum uideri. Atque ν 320 — 323:

ἀλλ' αἰεὶ φρεσὶν ἦσιν ἔχων δεδαιγμένον ἦτορ
ἠλώμην, εἵως μ.ε θεοὶ κακότητος ἔλυσαν
πρίν γ' ὅτε Φαιήκων ἀνδρῶν ἐν πίονι δήμῳ
θάρσυνάς τ' ἐπέεσσι καὶ ἐς πόλιν ἤγαγες αὐτή.

Qui uersus uariis ex causis iam a ueteribus criticis[95]) habentur insitiui, priores ob falsum usum ἦσιν pro ἐμῆσιν, posteriores ob Phaeacum mentionem.

Horum igitur uersuum haud scio an plerique a Pisistrato uel eius sociis interpolati sint. Sed plura de hac re disputare charta prohibeor.

Itaque haec summa est disputationis:

„Carminum Homericorum partes cum singulatim tantum et a rhapsodis decantari et describi solerent, confusae ac dispersae Solonis curam mouerunt, qui, ut rhapsodorum libidinem coerceret, lege sanxit, ut singulae partes exacte ad exemplorum fidem recitarentur. Pisistratus uero circiter LXII Olymp. quattuor uiris, Onomacrito, Zopyro, Orpheo, Conchylo (de quo etiamnunc haesitamus) adiuuantibus tum ut festorum splendorem augeret tum ut in bibliotheca depo-

---

[94]) ibid. pag. 98; Kirchhoff. l. l. pag. XVII.

[95]) cf. edit. Odys. Faesi. uol. II pag. 21.

ueret, „membra disiecta poetae“ in duo carmina (Odysseam et Iliadem) collegit, ordinauit, primus tota inter se cohaerentia litteris mandauit. In qua opera nonnulla ad gloriam Athenarum exornandam interpolauit. Quae editio Pisistratea postea interiit quidem, sed multis exemplis propagata omnium, quae postea circumferebantur, editionum fundamentum fuit. Denique Hipparchus imperauit, ut Panathenaeis carmina eo ordine, quo a patre essent constituta, decantarentur“.

VITA.

Natus sum Fredericus Guilelmus Haag in uico Mosellano, cui nomen est Muelheim, anno h.s. XL. a.d. VIII. Id. Jul, patre Francisco Guilelmo, matre Sophia Guilelma, e gente Baehr, quos parentes adhuc superstites ueneror et ut Deus O. M. quam diutissime seruet pio animo precor. Fidei addictus sum euangelicae. Litterarum elementis in progymnasio Trarbacensi imbutus postquam gymnasium Confluentinum, quod sub Alexandro Dominico floret, per quattuor annos frequentaui, anno MDCCCLXI maturitatis testimonio instructus a uiro clarissimo Hilgers, Uniuersitatis Fredericae Guilelmiae Rhenanae rectore, ciuium academicorum numero adscriptus sum, ut cum philosophiae tum antiquitatis et linguae uernaculae studiis me dederem. Viros audiui illustrissimos: Heimsoethium Jahnium Loebellium Ritschelium Ritterum, Schopenum. Duobus semestribus peractis Berolinum transmigraui, ubi per quinque semestria usque ad hoc tempus commoratus scholis interfui celeberrimis Boeckhi, Droyseni,

Erdmannsdoerfferi, Gruppi, Haupti, Mommseni, Huebneri, Meyeri, Muellenhoffi, Trendelenburgi. Neque antiquius habui, quam ut seminarium philologicum, quod Boeckhius et Hauptius et philosophicum, quod Trendelenburgius et exercitationes Theodiscas, quas Muellenhoffius moderatur, frequentarem. Quibus praeceptoribus omnibus, quantum debeam, semper memor ero.

THESES.

I. Diuersa significant, ἐξ ὑπολήψεως et ἐξ ὑποβολῆς·

II. Recte Leutschio (Philol. XI. 777) suspecta uidentur verba, quae leguntur in Sophoclis Philoct. uu. 1437 —40 (ed. Schneidew.).

III. Temere Schoellius trilogiam esse statuit Sophoclis Oedipum Regem, Oedipum Coloneum, Antigonam.

IV. Apud Caesarem „de bello ciuili“ in l. III. 16. 5. deleta uoce „Pompei“ sic legendum est: „Summam suam esse ac fuisse semper uoluntatem“.

V. Horatii satir. I. 1. uersum 108 ita legendum esse censeo: Illuc, unde abii, redeo, qui nemo ut auarus.

VI. In Catull. c. 65 uu. 9—14 neque Gruppius debebat a poeta abiudicare, neque Lachmannus lacunam ante u. 9 probabiliter expleuit.

VII. Plato in Phaedro dialogo id potissimum sibi proposuit, ut de arte rhetorica dissereret.

LIBRARY OF CONGRESS
0 006 875 473 2

OCT 20 1903

LIBRARY OF CONGRESS
0 006 875 473 2